

X 186 23 M

II h
928

Q. D. B. V.

De

POCULO S. JOANNIS,

quod vulgo appellant

S. Johannis-Gruncf/

in Academia Lipsiensi

Consensu

*INCL. FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
PRAESIDE*

Viro Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. M. JACOBO THOMASIO,

Eloquentiæ Prof. Publ. celeberrimo, Facultatis Philo-
sophicæ Adfessore gravissimo, Min. PP. Collegii
Collegiato meritissimo &c.

*Domino Patrono, Præceptore & Promotore suo
ætatem suspiciendo,*

disputabit

JOH. ADAMUS FIBIGERUS,

Löbavia-Lufatus, Magisterii Cand.

d. 30. Januarii A. C. 1675.



LIPSIAE,
Literis CHRISTIANI FICKII.



POCULO
JOHANNIS

JOHANNIS

JOHANNIS

JOHANNIS

JOHANNIS

JOHANNIS

JOHANNIS





Juvante Triuno!

DE POCULO S. IOANNIS (vernacula S. Johannis Truncell appellamus) nihil fere ad nos, quæ DEI est gratia, è superstitione Papistici regni præter inane nomen transiit. Ipse ritus vulgo ignotus ne quidem eruditus, cum in libris quoque admodum parca segetis hujus emineant aristæ, magnopere inclaruit. Movit hæc nox obscuritas argumenti raritate se quadam commendantis, ut nonnihil de eo commentaremur. Invitavit simul temporis, quo nostra sollicitabatur opera, contemplatio. Non ita multi sunt elapsi dies, ex quo S. Iohannis Evangelistæ, cujus nomen in hac re usurpatur, festum celebravit Ecclesia. Ipse Ianuarius presens favet instituto, saltem ex eorum opinione a), qui poculum hoc, antequam à Iohanne denominaretur, volunt appellatum fuisse Iani, quippe cui hoc mense nuncupatum olim inter gentiles illud fuerit. Sed ordiendum à clarioribus.

a) de qua S. 55. seqq.

CAPUT I.

Narratio de ritu poculi Joannei.

S. I. **S**Olet apud Pontificios quotannis ipso S. Joannis Apostoli & Evangelistæ festo, quod nostrarum etiam Ecclesiarum fasti natalitiorum Christi Salvatoris triduo annumerant, die videlicet 27. Decembris, à Sacrificulis publico ac solenni ceremoniarum ritu consecrari vinum, atque sic consecratum à certam in ara stipem offerenti.

A

renti.

rentibus Laicis, quod è calice bibant, exhiberi. Persua-
dent autem plebi, potionis hujus hanc esse vim, quæ cum-
primis adversus veneni pericula valeat; quasi ex peculiari
quodam Divi Joannis, cui nihil nocuisse virulentum po-
culum ajunt, merito. *Q*uin & pastillis hoc vino tinctis
nescio quid facultatis adversus pruinas inesse fingunt. *Cæ-*
rerum domesticis quoque computationibus hæc dies stre-
nue transigitur ab utroque sexu, quod credant viris in
amorem divi Joannis bibentibus robur, fœminis pulchri-
tudinem augeri.

§. 2. Apponemus hanc in rem versiculos Thomæ
Naogeorgi *b*):

*Johannes calcem premit huic c) Zebedeia proles,
Qui quondam fertur truculenti voce tyranni
Horrida compulsus potasse venena: proinde
Toxica ne noceant, credunt prestare Papista.
5. *Q*uin & sacrifici sacratum illius honori
Dant vinum populo venienti non sine nummis.
Post & pastilli vino tinguntur d) eodem
Sævas contra biemes, ledentesq; arva pruinas:
Prestigiumq; illis aliud multumque patratur:
10. *R*obusti ut fiant, potant hac luce mariti,
Formosa ut fiant autem grataque puella.*

b) Lib. IV. Regni Papistici p. 132. 133. ed. Basil. A. 1619. *c*) Ste-
phano puta. Agit enim ibi de festis. Sacram autem Ste-
phano diem statim excipit illa, quæ Joanni di. ata est. *d*)
Sic legendum puto, pro *singuntur*.

§. 3. Formulam consecrationis hanc nobis exhi-
bent Agenda sive Exequiale Sacramentorum, ed. Argen-
1. *t*in. A. 1513. † BENEDICTIO VINI PER AMOREM
SANCTI JOANNIS BIBENDI. *A*djutorium nostrum in
2. *n*omine Domini, qui fecit cælum &c. † Benedictio. Bene †
*d*ico te creatura vini in nomine Dei Patris, qui cuncta crea-
vit ex

vit ex nihilo, & de terra virentia germinare precepit: be-
nedico te in nomine Filii ejus, qui est à Spiritu sancto in
utero virginali conceptus, & inde natus totum mundum sua
nativitate letificavit: benedico te in nomine Spiritus san-
cti paracliti, qui processit ab utroque, & pectora Apostolo-
rum indivisibiliter penetravit. † Benedico te vinum per 3.
sanctam Trinitatem ac indivisibilem unitatem, pro cujus fide
omnes Apostoli & sancti Martyres pugnantes mundum cum
terrestribus vicerunt, ac regna cœlestia obtinere meruerunt;
Confessores insuper & Virgines eandem Trinitatem profiten-
do ad Angelicam pervenerunt mansionem. † Benedico te 4.
per omnes Virtutes cœlorum, ut sis vinum benedictum o-
mnibus te sumentibus in sanitatem mentis & corporis, ut qui-
cunque ex te gustaverint, sint in protectione Dei, ab omni
adversitate corporis & anima liberati: † Per eundem Do- 5.
minum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare
vivos & mortuos & seculum per ignem. † Oremus: Ora- 6.
tio. Exaudi quesumus, Domine preces nostras, & hanc cre-
aturam vini, quam ad usum hominibus ex vitis propagine
germinare jussisti, & eundem liquorem in ultima cœna, quam
eum discipulis tuis ante passionem tuam habuisti, in sangui-
nem tuum verbo consecrasti, benedecere, sanctificare & custo-
dire tua pietate digneris omnes ex eo gustantes. † Sub tua 7.
protectione custodi eos à presenti periculo, & post hanc vi-
tam mortem perpetuam gustare non permittas. Qui. † Do- 8.
minus Vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joh.
I. In principio erat verbum, &c. f) † Oratio. Per istos sermo- 9.
nes sancti Evangelii, & per merita S. Johannis Evangelista
tu Domine benedicere & consecrare digneris hunc calicem
vini dextera tua! & presta, ut omnes in te credentes & de
calice illo bibentes à te benedicantur & protegantur! † Et 10.
sicut beatus Joannes Evangelista de calice venenum bibens

non est lesus: ita isti homines in amorem ejus de calice isto
bibentes merito ipsius ab omni aegritudine veneni absolvan-
tur, & corpore & anima se tibi offerentes ab omni culpa
II. exuantur! per Christum Dominum nostrum, Amen. † In
nomine Patris & Filii, & Spiritus † sancti sit istud vinum
benedictum & consecratum! Amen.

e) p. 82. seqq. f) legitur hic in Agendis tota Evangelii hujus
pericopa usque ad verba v. 14. plenum gratia & veritate.

§. 4. Aliam è Missali Ordinis Cisterciensis repe-
ries apud Justinum Pertuchium in Chronico Portensi g)
1. † BENEDICTIO VINI IN DIE S. IOHAN. BAPTISTÆ
b). Initium Sancti Evangelii secundum Iohannem: In prin-
2. cipio erat verbum &c. † Antiph. Valde honorandus est B.
3. Iohannes, quod suprapectus Domini cenam recubuit. † Versus.
Cibavit illum Dominus pane vite & intellectus, et aqua sa-
4. pientia sancte potavit eum. † Coll. DEUS & Pater Do-
mini nostri Jesu Christi, cujus verbo caeli firmati sunt, &
omnis creatura facta est, & omnis creatura subjecta etiam
5. metuit & expavescit: † Nos ad auxilium te invocamus,
cujus audito nomine serpens conqvescit, Draco fugit, vipera
silet, et subita illa rana et inqvieta torpescit, scorpius extin-
guitur, regulus vincitur, sq valangus i) nihil noxium opera-
tur, et omnia venenata adhuc fortia repentia et animalia
6. noxia terreantur: † Tu extingue omnes diabolice frau-
dis humana generi adversantes nequitas; & hunc liquo-
rem vini per intercessionem sancti Iohannis Apostoli & E-
7. vangelistæ tua virtute benedicas: † Et omnes ex eo gustan-
tes meritis & precibus omnium sanctorum tuorum inter-
venientibus ab omni malo custodiat, et ad regnum k) gloria
tua perducatur tua misericordia! ubi pax est et letitia sempi-
8. terna in secula seculorum, Amen. † Collecta. Deus qui l)
apostolo tuo Iohanni speciali amoris privilegio secreta caelestia
pandere

pandere dignatus es, & in ultima cœna super pectus tuum recumbens effluentiam evangelicæ veritatis de ejusdem sacratissimi pectoris tui fonte potavit, quique illi denique in cruce pendens matrem virginem virgini commendasti: † Te, Domine, suppliciter deprecamur, ut hunc potum dextera tuae majestatis benedicere & sanctificare digneris, ut sit omnibus sumentibus sanitas animæ & corporis, & contra omnia adversa seu pericula stabile firmamentum: & qui in tua pietate confidunt, intercedente beatissimo Apostolo & Evangelista majoris effectum privilegii consequatur. † Et benedictio Dei Patris omnipotentis, Filii, & Spiritus Sancti descendat super hanc creaturam vini, & super omnes eam sumentes!

g) Lib. I. cap. 4. p. 258. h) imo Apostoli vel Evangelistæ scribendum fuerat. Clarum hoc è seqq. n. 6. & 8. i) Squalangus vox haud dubie latino-barbara: sed quam frustra quæras apud Vossium de vitis ferm. & similes Lexicographos. Quid ergo ea designari dicemus? An serpentem? ut sit detortum ex nostrate Schlange. Sed serpentis paulo ante facta jam fuit mentio. An ergo potius corrupta scriptura, legendumq; Spalangus? h. e. musca venenosa: sic enim hoc vocabuli interpretatur Vincent. Bellovac. in Vocabulario suo Lib. I. Spec. Doctrin. f. 73. Sonus affinis phalangio est. De quo idem Vincent. lib. XX. Spec. natur. c. 167. f. 1552. Phalangion juxta Plinium est quoddam aranei genus, cujus videlicet morsus noxius est. Sic editio Vincentii Duacensis A. 1624. neque aliter Plinius passim. Atque hoc idem postulat origo: nam & Græcis est Φαλάγγιον. In Indice tamen Vincentii tum librorum & capitum, tum alphabetico non phalangion legitur, sed sphalangion: ut suspicari liceat, etiam in ipso Vincentii textu sic habuisse codices antiquos. Putesq; adeo, quod phalangion fuit priscis, id ævo barbaro sphalangion, vel, (si sequimur Indicem librorum Vincentii,) tertia Declinatione sphalangionem,

onem, atque sic neutro semel genere in masculinum mutato, ulterius spalangum, vel squalangum vocatum fuisse, simulq; ex aranea mutatum in muscam, aut nescio quod aliud animal noxium. Mustelam fortasse: nam hujus virulento morsui vinum Joanneum solere opponi, docebimus §. 7.
k) sic lego, pro, & regnum. l) π qui male hic omissum erat.
m) Sic §. præced. n. 9. digneris hunc calicem vini dextera tua, non dexteræ, ut hic alias apud Pertuchium legitur.

§. 5. Hæc dubitare nos non sinunt, quin viguerit inter Pontificios hæc vini Joannei superstitione per seculum ævi superioris unum atque alterum. Eandem vero apud ipsos etiamnum durare compertum est.

§. 6. Summam totius negotii quidam è Bavaris ad nostram religionem conversus in hos sensus retulit nobis. Solent festo Johannis tum in oppidis, tum in vicis ac pagis Pontificii Sacerdotes vinum consecrare, idq; distinctis duabus missis, tanti se rem agere momenti arbitantes, è qua pendeant omnia. Sic enim vulgo dicunt: *An Johannis Segen / ist alles gelegen.* Consecratur autem vinum non modo sumptibus Ecclesiæ sacro calici n) infusum, sed &, quod quisque Laicorum suo in vase [affert autem alius alio capacius] mensæ juxta aram sitæ impo- fuerit. Ad sacri calicis degustationem admitti qui cupiunt, pro modo facultatum non nihil offerunt pecuniæ, ne gratis bibant videlicet. Qui suas ipsi lagenas attulerunt patresfamilias aut matres, consecratas domum reportant, ut inde cum domesticis aliquid libent, quod superest, in usus necessitatum reservent.

n) de quo placet ipsa ejus, à quo hæc accepimus, verba germanica adscribere: *Der Priester / der den Wein benediciret / nimt kein gemein Geschirr / sondern einen geweihten Kelch; solchen reicht der Priester den Menschen / daraus zu trincken /*

trincken/ gibt ihn nicht in die Hand/ denn dem gemeinen Mann ist verbothen/ mit Händen anzugreifen.

§. 7. Enimvero sic opinantur, maxime valere hoc poculum adversus veneni quodcunq; genus, atq; adeo non homini tantum, sed & pecori esse salutare. Ergo si bovem aut vaccam lædi contingat morfu mustelæ (nocivus autem hic est vitæ) vinum Joanneum pecori pro remedio esse credunt. Quin et vini ac cerevisiæ cupis ex eo non nihil infundunt, quo tum venificæ arceantur tum acescere liquor prohibeatur.

§. 8. Etiam hoc addebat, strenue Baccho litari hoc die, vitris maxime largis ac plenis bibi, nec deesse exempla eorum, qui mortem sibi haurienda Joannis benedictione (nam in hos etiam temulentos haustus Apostoli nomen transit,) acceleraverint.

CAPUT. II.

*Poculi Joannei distinctio in sacrum & vulgare;
vulgaris iterum varia genera.*

§. 9. Secundum hæc duo nobis poculi Joannei distinguenda sunt genera, *sacrum* videlicet à profano seu *vulgari*. Quorum illud Ecclesiasticum etiam vocare licebit, hoc politicum ac civile, vel Oeconomicum ac domesticum.

§. 10. *Sacrum* appello, (quanquam execrandum o) potius superstitio facit) cui sacerdotalis per solennem ritum benedictio p) accessit: *Vulgare* seu profanum, cui non accessit.

o) Probabitur hoc §. 72. p) cujus formulas qvare §. 3. 4.

§. 11. *Vulgare* tamen etiam hoc poculum in Regno Papæ à superstitione adeo non fuit alienum, ut hac parte cum sacro comparari mereatur, Per amorem S. Joannis q) bibe-

bibebatur poculum sacrum; bibebatur & vulgare. Sacrum ex merito & intercessione r) B. Joannis occultam quendam virtutem ac *benedictionem*, adversus venena valentem, habere credebatur; etiam vulgare potantibus fingebatur idem Apostolus, si viri essent, robur, si foeminae, pulchritudinem donare s).

q) respice ad §. 3. n. 1. & 10. r) repete iterum §. 3. n. 10. & §. 4. n. 6.

s) jam supra §. 2. dictum aliquid hac de re ex Naogeorgo, versibus extremis, plura invenies §. 30. 31.

§. 12. Nempe ut alter alterum ad strenue siccanda pocula invitaret, ac trepidanti conscientiae ebrietatem excusaret, in amorem Joannis, cui sacra illa dies esset, bibere jussu vicissim à Divo fausta omnia pollicebatur, inolito à multis seculis, nullasq; non pervagato nationes artificio, ut ad persuadendam etiam invitis ebrietatem pocula Deorum, t) Sanctorum u), Regum, Principum x) nominibus insigniantur:

t) De poculo Jovis servatoris ac similibus Stuckium vide III. Antiq. conviv. 23. f. 408: 409. Conf. Loccen. II. Antiq. Sveogoth. 21. p. 112.

u) bibere ad Sanctos quid sit, docebit Barthius LV. Advers. I. f. 2752.

x) Vide Bart. d. l. item Loccen. d. l. p. 113. 114.

§. 13. Porro illa vulgaris poculi cum sacro convenientia fecit, ut utriq; commune nomen hæserit, non modo poculi vel *haustus Joannei* y), sed etiam *amoris Joannei*, *benedictionis Joanneæ* z).

y) Voces passim obviae, quibus latine exprimunt nostrum S. Johannes-truncf. z) S. Johannis Lieb und Segen Synonyma sunt Georgio Anhaltino de poculo Joannis sacro loquenti. Locum ejus dabimus §. 52, b. Vulgare vero poculum aperte, ut alios omittam, Stuckius S. Joannis benedictionem appellat, ut intelliges è §. 42.

§. 14.

§. 14. Quæ Synonymorum in eandem æquivo-
cationem quasi conspiratio attentos reddere nos debet, ut,
quoties de hoc poculo aliorum scripta legimus, probe per-
pendamus, de sacro illis an vulgari an utroq; sermo sit,
an item utrumq; confundant fortasse.

§. 15. Tanto autem major adhibenda hic circum-
spectio, quod *vulgare* quoq; poculum nostri Joannis A-
postoli non unius est moneta. Nam *primo* nomen hoc
illis poculis datum, quæ inter epulas hujus festi biberen-
tur; *deinde* ad ea extensum, quæ remotis post cœnam
mensis ultima propinarentur jam cubitum discessuris; ab
his *deniq;* appellatio processit ad quævis cujusq; temporis
valedictoria, etiam eorum, qui peregre essent abituri.

§. 16. Ut adeo tria ejus constituere genera videa-
mur posse, *epulare, dormitorium, peregrinatorium*: nisi
quis extrema duo malit uno *valedictorii* poculi vocabulo
comprehendere.

§. 17. De *epulari* supra a) rem exposuimus. De
dormitorio Stuckii locum expendemus cap. IV. b) Ad *pe-
regrinatorium* alludit B. Lutherus, cum verba salvatoris
Luc. 22. 18. (*Dico enim vobis, quod non bibam de generati-
one vitis, donec regnum Dei veniat,*) ex ritu valedicenti-
um sibi supremo Joannis poculo illustrat c): quem in hoc
argumento sequitur & Mathesius. d)

a) §. I. prope. fin. & §. 8. b) §. 42. c) Haus-Postill am
grünen Donnerstag p. 211: ed. Jen. 1597. Dis gehet auch nicht
an das Sacrament des Leibes und Blutes Christi/ sondern
es ist ein Lebe-Trunck auff das Osterlamb. Als wolt der
Herr sagen: Dis soll der Johannis-Trunck seyn/ ikt trin-
cke ichs noch mit euch/ wie es durch Mosen geordnet ist.
Aber nun hinfort nicht mehr. Mit diesem Becher und
Trunck wil ich dem Osterlamb sein Balet geben/ und sol-
len hinfort neue Ostern und neu Osterlamb seyn im neuen
Testament.

B

Testament.

Testament. In der 49. Pred. von der Sündflut p. 393:
(Sen, quod perinde, in der 16. Hochzeit-Pred.) So gute
Freunde von einander scheiden/ und in gefährliche Reisen
ziehen/ pflegt man sich zuvor freundlich mit einander zu
lehen/ und bringet einer dem andern ein Valet-Trunck
zu guter lezt auff eine seelige Reise/ und fröliche Wieder-
kunft. Etwan hieß man solches in S. Johannis Nahe-
men trincken. — Solche ehrliche Bräuche/ wenn sie in
wahrer Anrufung des Nahmens Gottes beschehen/ sind
nicht zu tadeln: denn wir sehen im Evangelio/ da sich der
Sohn Gottes mit Moses viehischem Osterlamb und mit
seinen Jüngern lehen wil/ nimt er auch vor der Einsetzung
des hochwürdigen Abendmals den Becher und Kelch in
seine Hand/ und dancket seinem Vater/ und tuht sein Ge-
beht darüber/ und bringet seinen Jüngern erstlich aus
schlechtem Wein einen Valet-Trunck.

§. 18. Quod si ergo poculi Joannei vocabulum ad
quavis modo dicta genera extendimus, inter *vulgare* hoc
& alterum *sacrum*, qualia utrinque depinximus hucus-
que, non pauca licebit numerare *discrimina*. 1.) Consec-
ratione, (quæ sacro illi *forma* cujusdam (altem) *externa*,
qua caret vulgare, vicem præstat,) ea discrepare, jam su-
pra e) dictum. Differunt præterea 2.) *materia*: nec enim
nisi vinum f.) consecrabatur; at è vulgari quin pauperi-
ores plebeji etiam cerevisiam propinarint, nulla dubitan-
di ratio est. 3.) *Objecto*: sacrum etiam pecudibus exhibe-
batur g); quis hoc de vulgari affirmet? nisi credat fortasse
ad hominum convivia boves etiam & vaccas invitari. 4.)
sine: è sacro sanitas corporis; è vulgari robur ac pulchri-
tudo expectabantur h) s.) *loco*: qui sacro maxime conve-
niens fuit sacer; uti vicissim vulgari non nisi profanus. 6.)
tempore: nam sacri quidem ordinarius haustus ad festum
Joannis spectabat; è vulgaribus autem, peregrinatorio
maxime

maxime nullum anni certum tempus assignatum, cum itinera pro libitu & causæ exigentia quovis mense institui consueverint.

e) §. 10. f) audio tamen, alicubi cerevisiam quoque à Laicis allatam solere consecrari. g) per §. 7. h) regredere ad §. II.

CAP. III.

De sacro Joannis poculo monita: cum primis excussa narratio de S. Joanne venenum bibente.

§. 19. **N**unc de utroq; poculo speciatim admonebimus quædam. Cur sacro illi vim antidoti tribuerint, quia nempe Joannes Evangelista de calice venenum bibens læsus non fuerit, jam è formula benedictionis i), quodammodo & è Naogeorgi versiculis k) intelligi potuit: nec dissimulat è Pontificiis Gretserus l), cui & Molanum m) jungere possis n). Sed hic in ipsam miraculi hujus historiam, ejusq; fidem placet inquirere.

i) supra §. 3, n. 10. k) quos retulimus §. 2. l) lib. II. de fest. Christian. c. 4. p. 284. Vera hujus moris ratio potius ex Historia S. Johannis petenda est, qui pingitur calicem manu tenens, ex quo prospectat serpens, quia ut Isidorus testatur libro de Patribus Novi Testamenti, bibens letiferum haustum non solum evasit periculum, sed eodem prostratos poculo in vitæ reparavit statum. Quo alludit & Augustinus in Soliloquiis: Pro tua dulcedine gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit. Hinc mos in natali S. Joannis consecrandi vinum, ne quid venenatum in eo lateat. m) lib. III. de Hist. sacr. imag. c. 58. p. 378. ubi causam exponens, cur Johanni Evangelistæ calix, quem manu teneat, appingatur, Calicem, inquit, in manu habet, partim propter verba Christi, Matthæi cap. 20. partim etiam quia -- bibens letiferum haustum -- evasit periculum. -- (citantur hic, perinde ut à Gretsero, Isidori verba & Augustini:) quodq; Albertus Castellanus in Sacerdotali Romano habeat,

benedictionem vini contra venenum in festo S. Joannis Evangelistæ usitatam. n) confer & è nostris locum Herbergeri infra §. 57, r.

§. 20. Legendam, (quid enim vetat sic vocare?) Marcus Marulus o) his verbis breviter enunciat: Ephesii fidem à Joanne Apostolo predicatam recepturi, ut eam signis approbaret, petierant. Qui Christi nomine invocato vetustum Dianæ templum ruere fecit: ut in qua illi plus confidebant, minus pro ipsis valere intelligerent; quandoquidem semetipsam dea defendere nequibat. Aristodemus vero templi antistes adhuc incredulus aliud etiam experimenti genus perquisivit. Venenum propinat, quo dudum p) capitis reos necaverat. Id acceptum apostolus hausit inoffense, & impletum est, quod Dominus noster de credentibus prædixerat q): & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Ipsos insuper, qui necati fuerant, ad vitam revocavit. Tunc demum Aristodemus, & qui spectaculo aderat Consul, reliquumq; vulgus, derelicta idolorum superstitione, ad salutis lavacrum confugerunt. Et Apostoli iussu per omnem Asiam eversis deorum simulacris crucis vexillum erexere, cum jam compertum haberent, verbum crucis pereuntibus quidem stultitiam, his autem, qui salvi sunt Dei virtutem esse r).

o) lib. II. exemplorum, seu operis de religiose vivendi institutione per exempla c. 8. p. 54. ed. Bas. A. 1513. p) scribe vix tum, vel, duos. Sic enim Jac. de Varagine, Aureæ (quæ plumbea verius) Legendæ scriptor Legend. IX. Et ille (Aristodemus:) volo, ut alios inde morientes videas, ut sic amplius pertimescas. Pergens igitur Aristodemus ad Proconsulem, duos viros decapitandos petiit, & eis coram omnibus venenum dedit. Qui mox, ut venenum biberunt, spiritum exhalarunt. Similia leges apud Petrum de Natalibus lib. II. Catal. sanct. c. 7. f. 14.

q) Marc. 16. v. 18. r) 1. Cor. 1. v. 18.

§. 21.

§. 21. Copiosius hæc referunt fabulatores prisci
Jacobus de Varagine et Petrus de Natalibus s) Quorum
adeo comperta quævis figmenta describendi consuetudo,
tacentibus alias de hoc sancti Apostoli miraculo scripto-
ribus vetustissimis, merito suspectam nobis narrationem
illam reddit: præsertim qui misceant mentionem templi
apud Ephesios Christiani t), quale nullum nostris uspiam
per prima secula fuisse constat.

s) Jacobus de Varagine claruit A. 1290. Petrus de Natalibus
A. 1470. Vid. Voss. de Hist. Lat. p. 491. & 600. Specimen
autem copiosæ narrationis è Jacobo dedimus paulo ante
lit. p. E. Petro aliud jamjam leges. t) sic enim Petrus de
Natalibus: Cum tota civitas Ephesiorum Ioannem extol-
lerent; Pontifices idolorum seditionem in populo excita-
runt, ita ut à multis de plebe Joannes traheretur ad tem-
plum Dianæ, ut sacrificaret. Quibus ille hanc conditio-
nem proposuit, ut aut ad invocationem Dianæ ipsi Ec-
clesiam Christi diruerent, & ipse idolis sacrificaret; aut ipse
ad invocationem Christi templum Dianæ subverteret, &
ipsi in Christum crederent. Gemina invenies apud Va-
raginensem.

§. 22. Quid ergo ad nescio quem *Miletum* u) Lao-
diceæ Episcopum x) S. Joannis discipulum y), à quo vita
Joannis descripta fuerit, cuiq; adeo & hanc legendæ par-
ticulam debere videntur velle, isti Mythologi provocant,
nihil nos movet. Quis nescit, multas farinae hujus fa-
bulas sub veterum qualibuscunque assutis nominibus in
scenam prodisse?

u) An idem hic forte Miletus cum eo, quem Gervasius Rico-
baldus citat? Dubito. Faciunt enim Episcopum Laodi-
cenum & Joannis *σὺγχρονον*. At Gervasii Miletum fuit
[Vossio teste lib. IV. de Histor. Græc. p. 59.] qui Miletum
vel Meletium legendum suspicarentur, Antiochenum E-
piscopum, qui claruit A. C. 381. Aut ergo fallit horum

conjectura; aut duo sunt isti Miletus. x) Jac. de Varag. d.l. Ejus vitam Miletus Laodiceæ Episcopus scripsit, quam Isidorus in libro de ortu, vita & obitu sanctorum Patrum abbreviavit. y) Petrus de Natalib. d.l. Hujus vitam inclytus [lego Miletus] episcopus, discipulus ejus scripsit.

§. 23. Itaque puduit opinor Miletus hujus Gretserum & Molanum, qui cum & ipsi legenda de veneno, quod innoxium Joanni fuerit, indigerent, eiq; pondus adstruere ex aliquo vetusto scriptore vellent, de *Miletus* ne hiscunt quidem, *Isidorum* citant & *Augustinum* z).

z] vid. lit. l. m. ad §. 19.

§. 24. Verum ne sic quidem pretium faciunt operæ. Nam *Isidorus* hac in causa non plus meretur fidei, quam *Pseudomiletus*, quem abbreviavit a): ut omitam, libellum ejus de ortu & obitu Patrum, è quo b) iste promuntur, supposititium censi c). Quam eandem notam meretur & *Augustini* liber ille d), quem hic advocant.

a) respice ad proxime præcedentem lit. x. b) caput ejus 74. citat Molanus in marg. c) Vid. Philipp. Labb. Tom. I. de scriptor. Eccles. p. 646. d) Inscrubitur Soliloquiorum animæ ad Deum liber. In quo locum à Gretsero & Molano citatum reperies cap. 22. Tom. IX. Oper. Aug. f. 774. B. Distinguendus autem est à libris Soliloquiorum de cognitione Dei & animæ, qui leguntur Tom. I. f. 511. Hi genuinum Augustini opus habentur: non item ille, de quo Erasmus ita censet f. 753. Agnoscis hominem versatum in Augustini voluminibus: nonnunquam verba quædam ac sententias veluti tessellas intertextit ex libris confessionum aliisque scriptis illius decerptas.

§. 25. Puduit Miletus & Surium. Itaque vitam Joannis non ex Miletus dat nobis e), sed è Simeone Metaphraste. In qua quidem & ipsa prolixam fabulam legas f) de Christiano quodam, qui debitis ingentibus oppressus, mortemq; sibi veneno consciscere volens, bis evaserit tamen,

men, quod venenum cruce signavisset; cuius indigentia postea S. Joannes herbis in aurum conversis consuluerit: verum de veneno, quod ipse Joannes biberit, altum silentium. Ut suspicari liceat, hujus de Johanne commentum natales pariter & Pseudomileti nugas, recentiores fuisse ævo Metaphrastæ, (vixit ille circa A. C. 919. g) & ita seculo Christiano X.) qui alias, ut ipse fabulandi non fuit imperitus b) tam insigne miraculum haudquaquam videtur fuisse omissurus.

e] de Vitis Sanctorum sub Decembri f. 339. f] c. 13. 14. 15. f. 341. 342. g] Vosf. II. de Hist. Græc. 25. p. 290. 291. h] Vide quæ de eo B. Dorscheus singular. Angelic. Diss. VII. p. 533. seqq. quæque ad §. seq. monebimus lit. k.

§. 26. Denique puduit ipsius fabulæ Baronium: qui cum in Annalibus i) multa passim de Joanne memoret, haustum tamen ab eo veneni poculum tacet. Neque nos peccabimus, si eodem illud habeamus censu, quo Baronius Joannis *χευσοποια* k). Et vero non desunt in Legendis hujus Apostoli, quæ audaciam prodant quidvis pro libitu comminiscientium.

i) Tom. I. & II. Constitantur utriusq; Tomi Indices. k). Tom. I. ad ann. 98. n. 19. f. 811. his verbis: Adduntur ad hæc alia multa miranda, à Joanne peracta, ut mutatio virgarum in aurum, saxorum in gemmas: sed quia sunt apocrypha, æque rejicienda putamus. Apocrypha hic interpretor, quæ (ex Mileto) recitant Jac. de Varagine & Petrus de Natalibus: nam in illis aperta mentio virgarum in aurum conversarum. Cui fabulæ affinis illa, quam è Sim. Metaphraсте retulimus §. præced.

§. 27. Quod si aliis fabulari licuit, liceat & nobis de occasione fabulæ conjecturam nostram aliorum iudiciis exponere. Appingi solent Apostolis gladii, cruces, aliave necis, quam pro veritate cœlestis doctrinæ sustinuerunt

erunt, instrumenta. Jam de Joanne mira numerare licet sententiarum divortia *l)*, aliis cum violenta morte, aliis naturali, (quod quidem veritati maxime consentaneum,) obiisse statuentibus; aliis, ne obiisse quidem, sed vivo corpore insertum Paradiso: ut nihil dicam de illis, qui vel statim à morte resuscitatum, vel in sepulchro jacere non nisi dormientem fingunt. In his ergo vel opinionum fluctibus, vel ignorantiae tenebris, ne omni symbolo careret ejus imago, tutissimum visum, ex verbis ad eum Christi *m)* calicem illi appingere. Causam hanc nescientes, vel nescienti plebeculæ falsam pro libitu persuasuri, facile eos duci passi sunt, ut illam fabulam comminiscerentur de venenato, quem Johannes ebiberit, calice. Cui postea, ne quod venenum esset, vinum forte crederetur, & serpentem *n)* adjungere jussi pictores.

l) vid. max. Rever. Mitternacht. ad Joh. 21. v. 22. Dissert. IV. & seqq. inprimis p. 74. 75. (ubi simul loci è Matthæo mox citandi interpretatio inchoatur,) 81. 82. 90. 166. 182. *m)* Matth. 20, 23. calicem meum bibetis. Alloquitur autem simul Joannem & Jacobum. Atq; ex his verbis etiam Molanus supra lit. m. ad §. 19. picturam Joannis cum calice derivat. Conf. Petri Bessæ Postill teutsch am Fest S. Joh. p. 70. ed. Mannß. A. 1615. *n)* serpentis è calice prospicientis, licet eum taceat Molanus, expressa mentio apud Gretserum. Revise lit. l. m. ad §. 19.

§. 28. Suspicioni huic nostræ non vim arrogamus invictæ veritatis. Certum hoc interim, ex illa, quantumvis falsa *o)* poculi à Joanne absq; noxa poti persuasione ortam de vini Joannei salubri adversus *venena* robore imaginationem. Quam sacrificuli, ut sunt in hoc genere largi artifices, eousq; augendam sibi censuerunt, ut idem vinum *omnia tum animæ tum corporis mala* *p)* propulsare

sare crederetur. Omitto *pecudum* quoque *morbis* q), *ni-*
vibus item ac *pruinis* r) oppositum illud fuisse.

o) illustrabitur hoc simili exemplo §. 50. p) Respice ad
§. 3. n. 4. & 10. §. 4. n. 7. & 9. Junge his locum Mathe-
lii, quem dabimus §. 74. lit. t. perpetuæ quoque mortis de-
precationem habes è formula benedictionis §. 3. n. 7. q) §.
7. r) §. 2. v. 8.

CAPUT IV.

*De vulgari Joannis poculo monita: cum pri-
mis excussa sententia Goropii Becani.*

§. 29. **A**Tque hæc de poculo sacro. *Vulgari* quoque seu
profano per sacrum hoc tempus fuisse locum
non mirabitur, qui cogitabit, vel ipsa nativitatis Domi-
nicæ sanctissima die sive vespera jam olim inter Christi-
anos, nescio magisne Diaboli fraude dicam an Pontificis
Romani exemplo s), invaluisse tam foedam crapulandi li-
centiam, ut non *Christi natalitia* (Stuckii t) verbis loqui-
mur) sed *Bacchanalia* potius atque *Lupercalia* agi videan-
tur. Quo etiam fit, ut nox illa, cujus memoria celebratur
ob Christum in illa natum, *Weihenacht* u), hoc est sancta
vernaculo nostro sermone appellata, ob foedum illum abusum
potius *Weinnacht* x) hoc est nox vini Epicureorum illorum
respectu sit dicenda.

s) de cujus solenni per eam vesperam computatione lib. 2.

Cerem. Rom. Eccles. citat Martin. Lipenius Histor. Stre-
nar. cap. III. §. 91. p. 172. t). Antiq. Conviv. lib. I. c. 16.

f. 36: Similia è Thummio de fest. p. 188. dat Lipen. loco lit.
præc. citato. u) deest hæc vox Stuckio. Quam tamen o-

mnino adjici possulant sequentia. Jo. Henr. Ursinus Theol.
Symbol. c. 85. p. 158. Nostri sanctam dicunt, die *Weyhe-*

nacht: *Weyhe* enim sanctum est, unde *weyhen* consecra-
re. x) Sunt alias qui vocabuli *Weinacht* etymon quæ-

rant

rant in vino, sive quo veteres Germani in Idolomania Ethnica alius alium id temporis donaverit: (Dress. de fest. p. 252. 253. qui tamen Weinachten à Weihenacht distingvit: adde Mathes. im I. theil der Postill. p. 88: über die Sonntags- & p. 59. über die Fest-Evangel. verba loci posterioris quære infra §. 55. k. Selnecc. Part. I. homil. in Evang. & Epist. p. 389. Casp. Klee Wegweis. p. 175.) sive cujus saporem Christo in hunc orbem nato fontes habuisse memorantur, (Bened. Duben. Catal. prodig. nati, Dom. n. XXII. qui quidem derivationem hanc tantum us possibillem affert.) Sed illi rectissime procul dubio, qui Weinacht interpretantur de verbo sacram noctem; quæ origine & tunc nobis vocatur Weirauch/ quasi sacer fumus. Weihenacht à quibusdam Wigenacht appellari habes apud Mich. Jul. Adventpred. G. 1. Adscribam huc & mirabile etymon Anonymi antiqui Autoris Expos. hymnorum pro scholaribus è msc. meo f. 22: ad hymnum, A Solis ortus cardine: ubi cum præmisisset, mysterium incarnationis fuisse secretum angelis & hominibus, hæc subdit: Item fuit secretum diabolis. Ideo diaboli tempore nativitatis Christi circumquaq; mysterium incarnationis quæsierunt, & conjecturative perceperunt. Ideo undiq; concurrerunt clamantes: non curamus regem incarnandum. Unde vulgariter dicitur Wynnachten/ quod interpretatur quasi wir en achten finer gebort nicht. Et in memoriam & in signum hujus adhuc hodiernis temporibus solent currere larvati, qui tamen manifeste sunt prohibiti, ut patet in decretalibus de vita & honestate clericorum.

§. 30. Ut autem vulgari huic Joannis poculo etiam ex religione sua cresceret autoritas, fingi coeptum, qui strenue festo Joannis Evangelistæ in honorem ejus biberent, viris quidem *robur* corporis, foeminis vero *formosam faciem* acquiri: id quod post Naogeorgum y) observavit etiam Strigenitius z).

y) supra §. 20. v. 10, 11. z) Part. III. Postill. ant Fest Joh. Des

des Evangelisten f. 147. Man hat etwan auff heutigen Tag
S. Johannis-trunck ausgetheilet / und fürgeben / daß an
diesem Tage die Männer die Stärcke / und die Weiber die
Schöne trincken solten.

§. 31. Occasionem superstitiosi figmenti frustra
quæsiueris in Legenda S. Apostoli. Nihil ibi de Joanne
robusto aut pulchro. Picturam potius dixerim huc ali-
quid contulisse. Joannem eam *juvenem* exhibet imberbem
a), *similimumque virgini*: nam & virginitatem ejus in
homiliis monachorum mirifice prædicari videas. *Robur*
ergo putatus est in ipsius amorem bibentibus largiri,
quia *juvenis*; formositatem, quia *virgo*.

a) vide Molan. III. Histor. Sacrar. imag. 58. p. 378.

§. 32. Spectant hæc omnia, sive tempus anni,
sive picturam, sive poculum æstimes, clarissime ad Jo-
annem non *Baptistam*, sed *Evangelistam et Apostolum*:
cui poculum hoc & à Strigenitio adjudicatum fuisse mo-
nuimus paulo ante b). Quid ergo est, quod idem Stri-
genitius alibi c) Joannis *epulare* poculum ad festum *BA-*
ptista refert?

b) §. 30, 2. c) am Tage Johannis des Täuffers / cit. Casp.
Tit. Exempelb. p. 385. n. 3. ed. Wittenb. A. 1657. his verbis:
Nuch ist grosse Schwelgeren bey solchem Johannis-Feuer
gewesen/welches man Johannis-Trunck genennet/ da man
cher vermeinet hierdurch sonderbare Stärcke zu trincken/
da doch Johannes der Täuffer weder Wein / noch starck
Geträncke getruncken / wie der Engel Gabriel selbst be-
zeuget.

§. 33. An memoriae hunc lapsum d) fuisse di-
cemus? An potius, utrobique vera narrata? repertis vi-
delicet, qui quod utrique Divo idem nomen esset, idem
quoque utrique poculum inter solennes epulas deberi pu-
tarent: sive quod sua interesse bibosi crederent, etiam

ex fallaci titulo causas ingurgitandi multiplicare; sive quod rudiores commune Sanctis duobus nomen falleret. An putabimus, huic extensioni ex eo quaesitum colorem fuisse, quod eadem Baptistae die traditur Evangelista decessisse e)?

d) Similem lapsum in formula Benedictionis apud Pertuchium notavimus §. 4, h. e) Durand. National. lib. VII, p. m. 178. Nota, quod beatus Joannes Evangelista in festo beati Joannis Baptistae obiit: sed quia non poterat tunc eius festum fieri, translatum est ad tertium diem natalis Domini. Adde Petr. de Natalib. lib. VI. Catal. Sanct. c. 3. prope fin.

§. 34. Baptistae festo *peregrinatorium* quoque Joannis poculum in Hermathena sua f) & Vertumno g) Goropius Becanus jam ex opinione vulgi tribuit, jam e sua rursus adimit. Sed hac in causa sic versatur, ut cum citius sua somnia & narrare, & somniis aliis refellere credas, quam nitenti ad historiae veritatem struere viam. Varius est et prolixus. Nos sententiam ejus in certa puncta, & eo, quem commodissimum fore speramus, ordine digeremus.

f) lib. VII. f. 139, 140. g) f. 47, 48.

§. 35. Ait, se puero apud omnes morem illum fuisse sacrosanctum habitum, ne quis a se quenquam dimitteret ad iter aliquod aggrediendum, cui non ante Jami poculum praebuisset h). Vides illi de *peregrinatorio*, poculo sermonem esse. *Sacrum* & e vulgaribus *epulare* ac *dormitorium* alto premit silentio, ut ambigas, an de his quicquam habuerit compertum. An ergo fortasse in patriam Goropii, (Brabantus fuit, natus Hilvaren-Becae i), unde *Becano* cognomen,) non nisi *peregrinatorium* deduxerunt peregrinantes? Quod cum nullius certi sit temporis k), tanto proclivius Goropio fuit, in assignando die

do die

do die, quem pro hiberno æstivum, pro apostonico baptisticum imaginatus est, falli.

h) Hermath. f. 139. i) Val, Andr. Dessel. Biblioth. Belg. p. 508.

k) per §. 18. in fin.

§. 36. Pergit l): poculum hoc Jans geley fuisse vocatum, quod ipse *Jani ductum* latine reddit: non male quidem, dummodo scias, apud Cimbros, (quorum ipse linguam unice habet in deliciis,) *Janum & Johannem* idem sonare m); sed obscure atque ambigue. Placuit autem illi *Janum* potius quam *Joannem* hic habere in calamo, quod persuasum haberet, a *Jano* Gentilium ad Christianorum *Joannem* multa, & in his poculum quoque hoc, fuisse traducta, quæ de re plura paulo post audiemus n).

l) d. l. m) Vertumn. f. 48. Hinc & illud factum opinor, ut nusquam gentium *Jani* nomen, quam apud Cimbros sit frequentius; qui omnes, quibus *Johannis* nomen in sacro fonte datum est, *Janos* vocant, quos Alemanni *Hansos* dicunt, ad *Jehan* vocis Hebraicæ posteriorem syllabam propius alludentes. n) §. 39.

§. 37. Porro eidem huic poculo etiam a *Gertroudis* amore factum fuisse nomen asserit o). Ac *Gertrouidin* quidem ipse nescio quam gentilium deam, (in Utopia forte natam,) interpretatur, quæ fidam custodiam, iis præbere credita fuerit, qui quærendæ alicujus rei gratia quopiam proficiscerentur; hujus nomen Christianos doctores, cum antiquas superstitiones evellere penitus non possent, ad divam *Gertroudem*, perinde ut *Jani* ad *Johannem* transtulisse. Sed putem potius Brabantos singulari veneratione sanctam *Gertroudem* suam, ut Patronam, quia Nivellensi in Brabantia cœnobio præfuerit olim Abbatisa p), veneratos, atque adeo suis etiam peregrinantibus amicam ac benevolam precatos fuisse. Quo

facit, quod in ejus vita refert Surius q), eam aliquando nonnullos pro sui cœnobii utilitate ablegasse, hos cum mare navigarent, in præsens vitæ discrimen coniectos, cum in S. Gertrudis memoriam redirent, periculum omne evasisse.

o) his verbis f. 48. Vertumni: Sanctum hunc morem apud Patres nostros observatum memini, ut discedentibus semper poculum præhiberetur, quod a Jani deductione & Gertroudis amore nomen haberet, nec fas esset abituro, ante iter ingredi, quam æquali haustu eisdem numinibus sacrificasset. Fol. 47. præcesserat: Quopiam eunti ad hunc modum bene precamur: *Sinet Jans geley / ende sinet Gertrous min zy met w / id est, Sancti Jani ductus, & Sanctæ Gertroudis amor sit tecum.* p) Disces hoc e Surius de Sanctorum vitis sub Martio f. 197. (ubi Sanctæ huic annum adjicit 650.) & Baron. Martyrolog. ad 17. Mart. p. 178. 179. q) d. l. f. 198, cap. 5. ab init.

§. 38. Pergamus audire Goropium. Negat poculum peregrinatorium Joanni *Baptista* accommodandum; neque enim hunc itineribus patrocinari, cum minime consueverit in vita sua peregrinari, sed perpetuo manserit in quadam solitudinis ad Jordanem parte, ad quam omnes discendi causa confluebant r). Assentior. Sed hic excipiat aliquis, quod poculum inventores primi ad Joannem *Apostolum* retulerint, id male Goropium, vel primæ originis ignarum s), vel natalem sibi *Baptistæ* diem affectu nimio venerabundum t), traxisse ad *Baptistam*; cæterum *Apostolo* Joanni satis belle cum peregrinantibus convenire, ut quem constat Christi doctrinam longinquis itineribus susceptis propagasse; quæ si maxime deficiat ratio, satis esse, quod ostendi queat, quemadmodum sacrum *Apostolo* poculum paulatim ad peregrinantes deflexerit u)

r) Ver.

r) Vectumn. f. 47. conf. Hermathen. ejusd. f. 139. s) suspi-
cionem hanc movent, quæ diximus §. 35. extremo. t) af-
fectus sui in natalem testis ipse Hermathen. f. 140. Hæc
de Jano, cujus nomen tanto lubentius ad *Jan* reduxi,
quod in vigilia D. Ioannis anno supra sesquimillesimum
undevicesimum (undevicesimo scribendum erat) die Iovis
a matre Mechtilde verbenis (ut solebant scil. festo Bapti-
stæ) vincula in lucem sim editus, & quo fausta omnia na-
to essent, Ioannis nomen acceperim. u) delineavimus
hoc §. 15.

§. 39. Nunc videamus, qua viâ putaverit Go-
ropius poculum hoc ad Baptistam pervenisse. *Janus*, in-
quit x), veteribus Cimbris, a *Jan* h. e. ab eundo y) sic
dictus, principio nihil aliud erat, quam potestas divina
itinerum, profectio-
num, expeditionumque tutelaris z).
Jano igitur paulo ante messem festum diem agebant sub
Ethnicismo Cimbri omnes, artemisia a) cincti & coro-
nati, quo faustum sibi iter precabantur, propterea quod
expeditiones suas eo tempore adornarent. Christiani
postea, quia *Johannis* & *Jani* nomenclaturæ non mul-
tum different, præsertim si more Hebræorum *Jehan* pro-
nunciatur, *Jani* nomen et festum ad Divum Johannem
transulerunt: nam sic & artemisiam cognomen, quod o-
lim a Jano sumserat, in divi Johannis b) est commuta-
tum; quin et ritus, festo Johannis artemisia se & aliis ver-
benis adversus nocturnos lemures & dæmonium meridi-
enum c) obvinciendi, indidem ortus.

x) Prolixa nimis & confusa quodammodo sunt, quæ in hanc
rem differit Goropius tum in Hermathena, tum in Ver-
tumno. Placuit ergo loci utriusque non nisi excerpta
hic dare, maxime quidem ipsis Goropii verbis, sed com-
modius (ausim dicere) ordinatis constantia. y) Ab eundo
Janum etiam Cicero derivat I. de nat. Deor. p. 39. inqui-
ens;

ens: Cum in omnibus rebus vim haberent maximam primam & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviae Jani, foresque in limine profanarum aedium januae nominantur. De hoc etymo sic censet Goropius f. 139. Hermath. Intellexerat Cicero, ab eundo Janum dici, sed cur, & qua in lingua ita vocaretur, ignoravit. Aliis placuit Jani etymon ad Hebraeos fontes revocare, ut intelliges e loco Mathesii §. 55, k. 2) Leges hoc in Vertumn. f. 140. sed tamen f. praeced. nomen Jani etiam ad Solem trahit: item ad Japetum, (Noae filium) eo quod ad hominum animos illustrandos continuo ultro citroque volitans Sol quidam terrenus sit visus. Adde Gallica ejusd. f. 56. & Hispanic. f. 24. 49. Cronia quoque Goropii in hanc rem citat Rosin. II. Antiq. Rom. 3. p. 206. a). Herbam hanc Germani vocant *Beysfuß*. Nominis rationem Goropius sic exponit Vertumn. f. 47. Hanc ferunt habere occultam facultatem, ut si quis eam secum ferat, is nullo eundi labore sit defatigandus: atque hac de causa Cimbri eam *Bivoet* nominant, -- nomine -- ad verbum significante id, quod pedibus adest seu opitulatur. -- Quisquis pede defatigatos habet, hujus decocto eos foveat & lavet, atque tam praesentem ejus vim cognoscat, ut postridie non plus sit sensurus lassitudinis, quam si nullum iter confecisset. Quae paulo post ad superstitionem de hujus herbae viribus opinionem pertinentia memorat Goropius, ea mox lit. c. memorabuntur. b) vocatur enim *S. Johannis kraut*. c) Gorop. Vertumn. f. 48. Consuetudo invaluit, ut ad hujus Divi (Johannis Baptistae) natalem omnes sese artemisia cingerent, nec dum omnino veteri abolita superstitione, qua credebatur, hanc herbam, caerimoniis quibusdam & carminibus Jano consecratam, eam nancisci facultatem, ut homines toto anno a lemuribus & demonio meridiano, itinera obsidentibus redderet securos.

§. 40.

§. 40. Hic non abnuo, superstitiones multas à Gentilibus ad Christianos mutatis nominibus transisse. Sed unde probabit Goropius, Janum unquam veteribus sub Gentilismo, sive Cimbris, sive Germanis notum fuisse, proque Deo, qui vel itineribus, vel cuicunque negotio alteri præsideret, adoratum? Unde probabit, festum illi diem æstivum potius, quam hibernum *d)* fuisse? Non satis est, quod Goropius hic suo more facit, etymon aliquod ex cerebro, ex etymo longam fabulæ seriem exsculpere. Si historiam credi velis, e monumentis veterum adstruenda illa est fides. A Romanis fuisse divinis affectum honoribus vetustissimum Latii Regem *e)* Janum invenio. Germanæ genti hoc eodem nomine habitum fuisse Numen aliquod, tum demum assentiar, ubi testes, qui asserant, idoneos, aut argumenta firma cognovero.

d) Certe Romani Ianuario mensi, qui hibernus est, a Jano fecerunt nomen: quanquam hic eam videntur secuti rationem, ut primus anni mensis ab antiquissimo Italiæ deo (sic Janum Gyraldus vocat syntagm. Histor. deor. f. 147.) denominaretur. Unde propius ad verum illos alludere dixerim, qui Germanis (quasi Romanorum secutis exemplum) Ianuario mense Janum fuisse cultum dixerunt: de quibus in primis §. 66. dicemus.

e) Macrob. I. Sat. 7. p. 205. Janus cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, & ab eo doctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit. Arnob. lib. III. p. 117. Janum ferunt Cælo atque Hecata procreatum in Italia regnasse primum.

§. 41. Tale nihil hic afferente Goropio, cum tamen huic asserto tota superstructa sit narratio, nihil agendum nobis, nisi ut fundamentum hoc vel levissimo impulsu concutiamus: ruent sua sponte cætera. Ac est

D

quidem

quidem in his etiam nonnihil, quod animadversionem specialem mereatur, sed properare nos ad ea, quæ restant, spacii, cui scribentes hæc includimur, brevitatis juberet.

§. 42. Polliciti supra f) sumus de *dormitorio* poculo Stuckii nos locum expensuros. Testatur ille g), propinationem eam, quæ apud Germanos peracta cœna circumferri ultima solet, vulgo *S. Johannis benedictionem* h), ab aliis *Domini* sive *Dei nostri benedictionem* i) appellari. Posterior hæc appellatio cœpit opinor in Ecclesiis à Papismo repurgatis, quæ scilicet ἀγιολατρεία domibus æque ac templis ejecta, cum benedictionem omnem non à Joanne aut ullo Sanctorum, sed à solo Deo k) scirent expectandam, nomen ipsum quoque Johannis huic poculo, si vox *benedictionis* accederet l), abrogandum esse censuerunt.

f) §. 17. g) III. Antiq. Convival. 23. f. 410. ubi hæc præcedunt: Ille Græcorum atque Hebræorum mos, cœnam religioso quasi & amico poculo terminandi, ad Christianos quoque promanavit, qui apud Germanos imprimis valde tritus est, & usitatus. Peracta enim cœna, postquam convivæ surrexerunt, & jamjam sunt discessuri, vel cubitum se recepturi, ingens phiala meracioris generosiorisque vini circumfertur, ex qua omnes bibunt. Convivator atque convivæ se invicem hoc ultimo poculo invitant atque salutant boni omnis amicitiaque ergo. h) S. Johannis Seegen. i) Gottes Seegen: unsers Herrn Gottes Seegen. k) Itaque apud nos non illud audias, quod apud Pontificios supra §. 6. An Johannis Seegen ist alles gelegen; sed hoc potius: An Gottes Seegen ist alles gelegen. l) nam alias in haustu Johannis etiam nostrates nomen Apostoli retinent, vocantque Johannis Truncf.

CAPUT

CAPUT V.

Utriusque poculi origo ac natales primi.

§. 43. **H**is ita de Joannis poculo tum sacro tum vulgari præmissis, dispiciamus, num ad primam possimus utriusque originem pervenire. Incipiendum à *sacro*. Nam ab hoc nomen Evangelistæ ad varii generis vulgaria videtur transiisse *m*).

m) quod superficietenus delineatum §. 15. clarius exprimitur infra §. 69.

§. 44. Seculum certum, quo sacrum illud poculum lucem aspicere cœperit, in tanto autorum, quos quidem alia quædam de hoc argumento differentes deprehendere licuit mihi, silentio, nominare vix audeo. Id quidem haud absque ratione suspicor, ejus natales non esse vetustos nimis.

§. 45. Jam supra *n*) docui, ipsam de veneno Joannis fabulam, quæ sacro poculo si non mater fuit, nascenti *saltem* obstetrix adfuisse videtur *o*), ævo Metaphrastæ, hoc est seculo post Christum natum decimo antiquiorem non videri. Nunc addo, causam esse, cur spurium hunc nescio cujus parentis foetum suspicemur, ne quidem decimo tertio seculo innotuisse; non tacendum alioqui seculi hujus scriptori Guillermo Durando *p*).

n) §. 25. sub fin. *o*) intelliges hoc è §. partim 51. partim 53.

p) vixit ille usque ad annum 1296. teste Labb. I. de script. Eccles. p. 404. Scripsit autem inter alia Rationale Divinorum Officiorum: ubi lib. VII. p. m. 178. seqq. agens de Sanctis Stephano, Johanne Evangelista & Innocentibus, hoc Joannis poculum ne verbo quidem memorat: qui tamen in præcedentibus p. 171. sub Johanne Baptista non oblitus est consuetudinis ossium cremandorum. Quam & apud *ὁμολογεῖται* Durandi Jac. de Varagine invenio Legend.



80. sub fin. tacentem similiter de poculo Joannis Legend. 9.

§. 46. Excipiet aliquis forte: vixisse quidem eo jam ævo poculum hoc, se apud Germanos; Durando, qui Romæ q) degeret, vel ignotum, vel ab eo, qui suæ maxime regionis officia divina voluerit enarrare, non necessario memorandum.

q) ubi & mortuum scribit Labb. d. 1.

§. 47. Mirum vero, illi, qui sedi pseudapostolicæ, a qua sacrorum omnium pendebat autoritas, adeo propinquus fuit, non inclaruisse, quæ de hoc genere apud Germanos etiam gererentur. Quod si noverat quidem hæc Durandus, sed consulto transiit, saltem hoc exspecto, ut qui credere me velit, uspiam locorum per ea tempora consuetudinem hujus poculi viguisse, is mihi nominet ex illo vel etiam antiquiore seculo scriptorem ullum, qui fidem isti antiquitati faciat.

§. 48. Haud ægre interim persuaderi patiar mihi, poculum hoc, cum nasceretur, non eodem momento regiones omnes sua superstitione inebriasse: qui de hoc etiam dubitare me fatear, num ubique locorum, in quibus hodie viget Papatus Romanus, vigeat simul poculi Joannei consecratio. Sane de Brabantis ut ambigam, illa me movet Goropii Becani circa diem poculo Joannis proprie destinatum hallucinatio, quam supra r) tetigi.

r) §. 35. & 38.

§. 49. Redeo ad superiora. Sacri Apostoli poculum non videri ante seculum XIII. capisse, dictum est. s) Sequitur, ut inquiremus, quid eos, qui tantis ante se ignoratum ævi spaciis in Ecclesiam invexerunt primi, ad novi ritus auspicia moverit? Hic eorum initio recordandum,

dandum, quæ jam plus semel t) inculcavimus, illam, de veneno, quod Joannes absque noxa sorbuit, legendam admodum commodam fuisse seminandæ superstitioni, quæ poculo fiducia meritorum Joannis consecrativam adversus toxica salubrem arrogaret. Omnino enim inter poculi sacri principia locus est huic legendæ.

s) §. 45. t) maxime sub init. & fin. Cap. III. §. 19. & 28.

§. 50. Neque obstat, fictitiam illam fuisse u). Talem enim sobolis non minus vanæ decebat esse matrem. Porro quis ignorat, plerasque superstitiones è similibus somniis crevisse? Suffecerit unum exemplum, præsentis quod tractamus sic satis geminum. Lapidem servant Brisgoici Friburgenses, unum ex illis, si credimus, qui Stephani caput compluerunt. Hic die Protomartyris hujus vino immersus virtutem utero salutarem largiri fingitur x).

u) quod ostensum §. 21. seqq. x) Gesurwald Pichhart Bienenkorb I. cap. II. p. 63. zu Freiburg in Breisgau = bey den Johanniten an einem silbernen Kettlin ein Stein / darmit S. Stephan gesteiniget ward: denselben legt man jährlich an S. Stephans-tag in einen Kelch / geusst Wein darüber / gibt dem opferenden Volck darab zu trincken / das heisst für S. Johannis-segen S. Stephans-wein / soll für die Barmutter gut seyn.

§. 51. Jam cum illa de veneno Joannis fabula non sit vetustissima y), num patabimus, ut primum enata illa est z), arripuisse sacrificulos occasionem excogitandi Poculi; quod ipsorum crumenas locupletare posset? Dubito, ac opiner potius, graviolem aliquam & momenti majoris intervenisse causam, De qua tamen quod certo pronunciem, nondum inveni.

y) per §. 25. z) Memorat eam seculi XIII. scriptor Jacobus de Varagine Legend. 9. Antiquiorem non vidi.

§. 52. Dicam interim, quid mihi succurrerit. Cum in verba incidissem Georgii Principis Anhaltini, quibus, licet aliud à nostro argumentum tractans a), inuit b), Episcopos ac Prælatos, cum & ipsi tandem à Calice sacrae Eucharistiæ extra missam c), quidem bibendo, prohibiti essent, persuaderi sibi passos, ut pro Christi poculo benedictionem Joannis biberent: in mentem veniebat, num forte post Constantiensis Concilii decretum d), quo mutilationem Sacramenti maxime roboratam fuisse e), constat, atq; adeo non multo post initium seculi XV. excogitatus fuerit carissimi e) discipuli calix, qui videlicet pro calice Magistri substitutus, omnibusq; etiam animi malis mederi posse creditus f), Germanorum, aliarumve nationum, κυλικοκλεψίαν istam animo parum à quo ferentium, sive sopiret indignationem, sive dolorem consolaretur.

a) non enim exequitur historiam poculi Joannei, sed rationem reddit repurgatæ circa sacram Coenam religiones. b) im Bericht an den Churf. von Brandenb. (f. 344. Oper. ed. German. Francof. A. 1561.) unde hoc excerpto:-- haben sie auch die Bischoff und Prelaten dahin geleitet/ daß sie ihnen zu gefallen sich auch leßlich außershalb der Messen haben der vollkommenen Communion und Empfahung des Kelchs eüssern müssen: darzu sie durch vielfältige Krenck geführet/ wie zum theil der Anhang in den Costnizischen Decret anzeigt.-- Aber dagegen haben sie sich überreden lassen/ an statt der Einsetzung des Kelchs der Leib (forte legendum lieb/ ut mox S. Johannis lieb/) des HErrn/ einen Becher Weins/ so sie S. Johannis Lieb und Segen nennen/ zu trincken/ davon S. Johannes nichts gewußt. Hæc illustrissimus ille, non prosapia magis, quam eruditione, & agnitæ veritatis constantia Princeps Georgius. c) Et Romani Pontifices, Cardinalesque, & omnes Episcopi & Sacerdotes, extra missam, & in extremis pro
viatico

viatico fumendo, una specie contenti sunt; ut loquuntur, qui nomine Cæsaris & Principum ad Augustanam Confessionem quum offeretur, respondere conati sunt. Calixt. Disp. contra commun. sub una §. 37. d) cujus & mentio in verbis è Georgio Principe modo citatis. e) Calixt. loco cit. §. 47. Ex his manifestum evadit, -- invec̄ta transubstantiatione -- enatam mutilationem sacramenti seculo circiter duodecimo; augmentum cepisse decimo tertio; maturuisse decimo quarto; tandem decimo quinto, explosa & proscripta integritate, decreto Constantiensi roboratam. f) per §. 28. p.

§. 53. An vero dicendum potius, cum jam ante illius Concilii tempora quocunq; tandem impulsu sacra Joannis potio maternam alvum rupisset, commodum hoc visum fuisse postea, ut eadem sitim quoq; sive Præsulibus, sive Nationibus, ex erepto sibi calice vere sacro natam, restringeret? At enim vero sic ratio redditur, non quæ poculi primos inventores impulerit ad inchoandum, sed quæ posteros adeo alacrius continuandum,

§. 54. Quicquid sit, suspicionem hanc de utcunq; usurpato in locum sanctissimi calicis calice Joanneo quædam adjuvant haud penitus contemnenda. In ipsa benedictionis formula mentionem reperio *liquoris in sanguinem Dominicum consecrati g)*. Audio & alicubi non vas vulgare, sed calicem consecratum adhiberi *h)*. Putes etiam pastillis, qui vino Joanneo tinguntur *i)*, aliquid intercedere affinitatis cum eucharistico pane. Quo alias solo circa ferias paschales cibati Laici, si pari prope ceremonia per ferias natalitias aliquid vino eucharistico saltem simile biberent, videri poterant, utcunq; fructum integri sacramenti, licet interruptis actibus per anni tempestates divisi, percepisse.

g) supra §. 3, n. 6. h) §. 6. lit. n. Cum hoc illud confer, quod

quod in sacra etiam Evcharistica populo apud Pontificios post panem sacrum etiam calix exhibetur, sed qui vinum simplex & non consecratum contineat: de quo Calixt. Disp. contra commun. sub una §. 38. Qui & §. 22, è Durando quædam in hanc sententiam cum attulisset, subjungit: Aufi non sunt auferre potum Eucharisticum, quin aliquod saltem ejus vestigium relinquerent. i) §. 2. vers. 7.

§. 55. Superest, ut illorum Opinionem videamus, qui poculum Joanneum à *Iano* gentilium, qui Noa fuerit, derivant. Eam à pientissimo seculi superioris Theologo Joanne Mathesio *k*), primum uti reor *l*) acceptam, propagarunt alii postea non pauci *m*).

k) Mathesii locos in hanc rem quatuor deprehendi. Hic unum tantum adscribo, über die Fest-Evang. p. 59. (ed. Nürnberg. A. 1571.) Die alten Römer haben zwar den ersten Tag und Monden des neuen Jahrs von Jano, den Jenner genennet: Janus aber ist Noah / der heilig Erzh-Vater. Dieser hat den Hebreischen Nahmen Jajin vom Wein bekommen / welchen er erfunden hat. Nun haben die Heyden ihre Wein-Fest gehalten / daher haben die guten alten Teutschen des Noah Tag Weynachten genennet / daran einer den andern mit gutem Wein verehret hat. Wie denn auch bey unsern Vorfahren der Brauch gebliben / daß man in Weynacht Seyertagen S. Jannes-Trunck gesegnet und außgetheilet hat / an S. Johannis des Evangelisten Tage: Daher es die Einfältigen haben S. Johannis-Trunck geheissen / weil sie vom alten Herkommen und Jano nicht gewist haben. Alter Mathesii locus legitur über die Sontags-Evangeliën / Part. I. p. 88: Tertius in der 49. Predigt von der Sündfluth. (e quo dedimus quædam §. 17, d) Quartus in der Berg-Postill oder Sarepta Conc. XIV. f. 149. l) Mathesio enim, quem a. 1565. obiisse constat, priorem in hac opinione indagare neminem potui. m) Dresserus de fest. p. 261. (qui & p. 10. inspiciendus.) Hospinian, de fest. Christian.

Christian. f. 112. ed. Tigur. A. 1593. Ranzovius Calendar. p. 180. Herberger. Herz-Postill. Part. II. f. 47. ed. Lips. 1674. Finck. Wintertheil Postill. festival. p. 276. Thumm. de festis p. 191. Lipen. Histor. Strenar. cap. III. p. 172. Conf. Casp. Klee Wegweis. p. 175. Plerorumque verba sparsim dabuntur in sequentibus.

§. 56. Placet hic rem enunciare verbis Hospiniani n): *Moris fuit apud veteres Germanos o), ad huc in Ethnica Idololatria constitutos, initio Ianuarii vinum Ianuarium distribuere, ut recordarentur Iani, hoc est Noachi Patriarchæ vitium satoris, & amoris benevolentiaq; mutua documenta sic ederent. Inde vero S. Iohannis haustus, S. Johannis Truncet originem traxisse videtur, quem posterioribus seculis S. Iohannis benedictionem, S. Johans. Seegen nominarunt.*

n) loco cit. o) Cimbro pro Germanis hic reperies apud Ranzovium, in cæteris *ἀνωλεξεί* cum Hospiniano per omnia congruentem.

§. 57. Impugnat hanc sententiam Gretserus p) ex eo, quia ratio moris hujus, quo vinum in Natali S. Iohannis consecratur, potius ex Historia Divi ejusdem petenda sit, qui pingitur calicem manu tenens. Sed recte regerit Finckius q), Gretseri hac ratione alteram illam non everti. Et copulat ad eo utramq; Herbergerus r). Itaq; fortiore adversus illam machina, si disiectam cupias, utendum fuerit.

p) Respondeo, inquit H. de fest. Christian. 4. p. 284. Calvinista (Hospinianus) non causam pro causa fallaciter nobis obtrudit: nam vera hujus moris ratio potius &c. Quæ porro sequentur, descripsimus lit. I. ad §. 19. q) Sed enim, inquit, elenchum oppositorum committit Iesuita: altera enim (ratio) non evertit alteram, cum utraque nitatur conjectura, non infallibili veritatis certitudine.

E

dine.

dine. Poterat hæc ratio adhiberi, quod ambæ simul stare possint. Enim vero distingvendæ sunt Quæstiones speciales: una, cur potio hæc veneno resistere censetur? altera cur vinum adhibeatur? Ad priorem ex pictura Joannis responderi potest; ad posteriorem ex Jano vitifatore. Non definitio, quid vere debeat responderi; dico tantum quid absq; alterius responsi jactura possit. Imo, ut intelligas, conjungi cum duabus causis abs repugnantia tertiam quoque posse, addo quæstionem tertiam: cur ad poculi hujus participationem publice plebs admittatur in templis? Respondebit enim aliquis: ut quæcunque habeas pro sacro sibi erepto calice solatium, per ea quæ diximus §. 52. r) his verbis: Der S. Johans-Trunck kommt dannen her / weil Johannes der Evangelist Bist getruncken ohne Schaden / nach den Reden des Herrn Jesu Marc. 16. v. 18. Vorzeiten hat man ihn genennet dem Janstrunck / denn im angehenden Januario haben gute Freunde einander mit einem guten Trunck Weins ver- ehret zum Gedächtniß Jani, das ist Noæ &c.

§. 58. Quid ergo? Num & nos tot præjudiciis confirmatam destruemus? Equidem neque contemptorum pietate, doctrina, meritis in rem literariam celebriam autoritatem; neque si quis invento isti laudem asserat ingenii, temere contradicam. Etiam illud prævideo, posse sic censentes ita exponi, ut quæ de poculi Joannei vetustate non nimia, deque usu ejus adversus conceptas ἐκκλησιαστικὰς ἀγριμονίας, non absque similitudine veri monuimus, maneant salva s). Vicissim tamen sunt ea in opinione quædam, quæ partim r) displiceant, partim u) nondum faciant satis.

s) Patebit hoc e §. 63. t) dissona videlicet suffragia, §. 59. & ob-

& obscuritas, §. 62. u) illa de Jano, quod eum Germani quondam venerati sint, §. 66. ita ut sub eius persona Noam intelligerent, §. 67.

§. 59. Displicent eorum, qui hanc tuentur, *non satis consona*, saltem si *cautionem verborum* requiras, *suffragia*. Quamquam enim omnes hoc volunt, poculum, quod inter Christianos obtinuit, Joanneum ad originem vini inter gentiles *Januarii* (sic enim appellare licebit in posterum,) quo Jani, hoc est, Noæ, memoriam celebraverit, esse revocandum: loquendi tamen *diffidia* quædam observes in eo, quod alii x) mentionem hic injiciunt ethnicismi, de ethnicis alii y) ne hiscunt quidem, utrisque præeunte, sed disparibus locis z) *Mathesio*.

x) *Hospiniani*, cum quo & *Ranzovius* facit, verba quære §. 56. Hic *Thummium* describo: Moris fuit apud veteres Germanos adhuc *Ethnicismum* colentes vinum honorarium distribuere, ut recordarentur, sicut *Ethnici Jani*, ita ipsi *Noachi vitium satoris*. Unde deinceps originem traxisse videtur *der S. Johannis-Trunk* / quem haustum *S. Johannis benedictionem*, *S. Johannis-Seegen* nominant. De quo haustu etiamnum apud multos multa *superstitiosa, idololatræ, & magica* agitantur. y) *Dresserus* p. 261. de fest. *Hauustus S. Joannis* inde ortus videtur, quod veteres Germani initio *Januarii* vinum honorarium distribuerunt, ut recordarentur *Jani*, hoc est, *Noami Patriarchæ vitium satoris*, & amoris benevolentiaque mutua documenta darent. Alterum *Dresseri* locum mox habebis ad §. seq. lit. d. *Herbergerianum* quære supra §. 57. r. Quamquam vero illic omisi quædam: tamen nec in iis *Ethnicorum* nomen reperies. z) Quatuor esse dictum supra lit. k. ad §. 55. In secundo & tertio nulla prorsus gentilium mentio; aliqua, sed mollissima in primo, & quem lit. jamjam secutura dabimus, quarto,

§. 60. Neque tamen hoc egisse dixerim vel Mathesium a), vel e ceteris ullum, ut poculum Joannis, tanquam reliquiarum ex idololatria gentili partem, infamaret b): cum omnes ad ritum non nisi honorarii vini, quod sub initium anni novi amicis miserint gentiles c), respiciant, Janum vero non ethnici numinis, sed vitifatoris primi schemate vestiant, nisi quod Dresserus de sacris, quæ Jano Romani fecerint, aliquid adjungat d)

a) Mathesius in Sarepta sua tantum abest, ut Janum ad idolomanias gentilium trahat, ut potius in bifrontis ejus imagine faciem *Ἰανὸς*, à Noæ filiis representatam, intueri gestiat. Verba hæc sunt f. 148: Was das zwiefach Haupt belanget / wolt ich wol gern hierauf den ewigen Sohn Gottes machen / des Göttliche und Menschliche Naturen haben Sem und Japhet / der ältesten Cabale oder Sibyllen Väter warhafftig erkant und angeruffet / und ihn vielleicht also auff ihre Münz den Leuten fürbilden wollen. Ac in sequentibus quidem ad humiliora se revocet, sed ne in his quidem quicquam legas circa mores intolerabile. Sic enim pergit f. 149. Düncket jemand diese Deutung des zwiefachen Hauptes zu scharff oder zu frembde / der laß es Noah / Japhet / oder Javan seyn / welchen die Heyden Janum vom Wein / den er erfand / nenneten / und ihm zu Ehren den ersten Monden des Jahrs Januarium, und das Weynacht-Fest stifteten / daran man auch im Pabstum S. Johannis-Truncck (ita malo pro, S. Johannes /) welches soll Janus-Truncck heißen / seegnete und austheilte. b) Fateor, accusari à nostris, & merito, ut cap. seq. §. 73 patebit, affinem Ethnicismo superstitionem poculi Joannei: sed dubito an ullus ducto à ritibus inter gentiles Januariis argumento id fecerit. Apud Nicolaum quidem Hunnium cap. IV. Apostas. Rom. Eccles. ubi hujus cum Ethnicismo communionem curatissime

tissime ad sua principia revocat, nihil tale, imo de poculo Joanneo ne lineolam quidem, licuit odorari. c) Memineris ergo Ethnicorum vocem, hoc in argumento usurpatam à nostris, materialiter tantum exponere, non simul formaliter. d) p. 10. II. de fest. Veteres Germani ante calendas Januarii vino liberalius usi sunt, adeoque alter alteri manuscula vini mittere consuevit. Quam consuetudinem pene dixerim inde esse natam, quod Janum, qui non alius fuit, quam Noamus, olim coluerint velut parentem sive autorem vini post diluvium. Unde etiam Oenotrius, id est vinitor, est dictus. Eidem etiam sacra fecerunt Romani ex libo, mola, thure & mero, ut est in versu Ovidii (172. lib. I. Fast.) Iane tibi primum thura merumque fero. Conf. Lipen. ad §. 66. lit. x. citandum.

§. 61. Interim horrida vox *ethnica idololatriæ* ab Hospiniano hic usurpata e) impulisse Gretserum videtur, ut hanc de origine haustus Joannei sententiam, velut ipsius honori admodum periculosam f) proscribendam putaverit sibi: quæ tamen commode, ut factum à nobis, exposita, nihil habet, hætenus quidem, quod aurem Pontificiam offendere debeat.

e) dum inquit: Moris fuit apud veteres Germanos, adhuc in ethnica idololatria constitutos &c. supra §. 56. f) Verba Gretseri II. de fest. Christ. 4. p. 283. Hospinianus Calvinista ex Dressero Lutherista carpit haustum S. Joannis &c. Ubi admonendum tamen, in verbis Dresseri, (quæ duobus è locis descripsimus §. 59. y. & §. 60. d.) prorsus nihil esse aculeorum, quod pungere Pontificium poterit; nisi forte ad tertium ejus locum respexit Gretserus p. 252. de festis, ubi de etymo vocis *Weinachten* sollicitus Idolomanicæ Ethnicæ mentionem excidere sibi passus est, ut intelligis è lit. x. ad §. 29.

§. 62. Est ergo saltem in Hospiniano aliqua minus providæ circumspeditionis culpæ. Sed vellem cæteri quoque in hoc argumento *clariori luci* rem omnem exposuissent. Nam si pergas quærerere: quale Joannis poculum hic imaginari debeamus, sacrum an vulgare? sobrium an ebrium? an promiscue simul omnia? quo item circiter seculo, qua via, quibus momentis à Jano perventum sit ad Joannem? nescio an extundere ex universis queas, quod pectus curiosum exaturet. Ut hac quidem parte Goropius, quem & ipsum à Jano peregrinatorium Joannis poculum deducentem supra g) illustravimus, minus habeat obscuritatis. Fatendum omnino, in illorum sententia, ut molissime dicam, non minimum esse salebrarum.

g) quære cum primis §. 36. & 39.

§. 63. Veruntamen faciunt hæ ipsæ salebræ, ut cogitare possimus de illa sic flectenda, ne iis, quæ tum de seculo, tum de consiliis poculi sacri adstruximus, contraveniat h). Nempe si sensum esse hunc jubeamus: florente apud nos per secula bene multa i) religione Christiana nihilominus è Gentilismo poculi Ianuarii nomen durasse tamdiu, donec ultimæ antiquitatis extrita penes vulgum memoria k) novoque consecrandi circa hoc ipsum anni tempus quibuscunque tandem è consiliis l) vini Ioannei succedente ritu, quod *Jani* olim fuit, ex affinitate vocabulum à *Joanne* denominari cœptum sit.

h) Confer, quæ lit. q. ad §. 57. disseruimus adversus Gretserum: ubi hanc de Jano sententiam conciliavimus non modo cum illa de pictura Johannis, quam ipsi Gretserus ut pugnantiem opposuerat, sed etiam cum altera de calicis erepti solatio. i) Nam si Ianuarii poculi transfigurationem in Joanneum dicas ipsos retulisse ad ea statim tempora,

ro, quibus Germania nostra Gentilismo primum valedi-
xit, maxime dissidebit hoc ab iis, quæ de ortu poculi Jo-
annei minus antiquo differuimus §. 45. k) respice ad
locum Mathesii descriptum ad §. 55. lit. k. sub fin. l) Ita
nihil decedet duabus conjecturis, quarum altera §. 51. ex-
cogitandi poculi Joannei natam putat occasionem è le-
genda de veneno, quod Apostolus innoxium hauserit,
quam huc & Herbergerus (licet nihil fabulosi suspicatus)
accommodat lit. r. ad §. 57. altera §. 52. sacrum hoc vi-
num ideo arbitratur in Ecclesiis ceptum distribui, ut san-
ctissimo sanguinis Christi calice defraudati moderatius hanc
injuriam ferrent.

§. 64. Intra hos ergo constricta limites illa cæ-
teroque vagabunda sententia quanquam quæstioni supra
m) propositæ, quibus videlicet consiliis ignota prisco-
rum ævo vini Joannei consecratio inuenta sit, nihil re-
spondet n): nostræ tamen nulla ponet obstacula.

m) §. 49. n) Respondebit aliquid, si in hanc faciem
adornes: Calendis Januariis propinabant sibi mutuo Gen-
tiles inter alia civilitatis officia pateram Jani. Jani me-
moriam inter Christianos paulatim sepulta, durante nihil-
ominus patera, factum ita, ut illa bibendi ceremonia u-
na cum nomine poculi, cum à primis anni Calendis non
multum distaret festum Joannis, migraret à Jano ad Jo-
annem. Postea sacrificuli Missatores, ne appictus Apo-
stolo calix ad epularem haustum pertinere crederetur,
sacro etiam Joannis poculo instituendo viam invenerant.
Sed quis affirmet, hoc Mathesium, hoc alios voluisse?
Omitto dicere, quod isthac ratione sacrum Joannis po-
culum derivatur è vulgari, quod contra factum oport-
uit.

§. 65. Nec est cur quempiam offendat ma-
gnopere

gnopere vel sacri vulgarisque poculorum cæca confu-
sio o), vel saltus retrogardus à Ianuariis Calendis ad diem
Decembris quatuor ab ultimo passibus distantem. Fa-
cile excusabit hæc Mathesius ex imperitia p) plebejo-
rum, qui non minus in rebus quam nominibus è par-
vo intervallo confundendis labi soleant.

o) Ianuarium enim poculum vulgare fuit ac politicum per
§. 60. Ioanneum vero hic ut sacrum maxime affertur. p)
nam huic res imputabatur §. 63. k.

§. 66. Quo minus tamen eidem sententiæ, si
maxime his eam tibicinibus falcias, nos committamus,
vetant, quæ supra q) negavimus fatiscere nobis: illa
puta, quæ de Iano r) ad hoc argumentum translata, jam
in Goropio quadam ex parte castigavimus s). Licet
enim non eo usque aberrant cum Goropio, ut Ia-
num ab hiberno mense protrudant in æstivum t), suis
enim ipsum Calendis relinquunt u): tamen id cum illo
commue habent, quod nescio quibus itineribus à Roma-
nis x) in has regiones deductum, Germanis etiam no-
stris in veneratione habitum fuisse innuunt. Vellem si-
mul idonea documenta protulissent.

q) §. 58. u. r) sunt enim hæc de Iano totius causæ funda-
mentum. s) §. 40. t) ibid. lit. d. u) facit huc maxi-
me locus Mathesii iamjam describendus. x) Mathesius
über die Sontags-Evang. Parr. I. p. 88. Was das neue
Jahr belanget / das hat seine Ankunfft von den Römern /
die ihr neu Jahr mit auffsteigender Sonne anfangen / und
einander ein seliges neu Jahr wünschet / und einer dem
andern eine Verehrung sendet / welches auch die alten
Teutschen mit ihrem Wein thäten / dem alten Noah und
Wein

Wein-Erfinder zu ehren etc. Alium ejusdem quære lit. k. ad §. 55. ab init. Lipenius Histor. Stren. cap. III. §. 90. p. 172. Neque enim Jano tantum merum in sacris fuderunt, sed etiam in honorem Jani, tanquam Oenotrii, id est vinitoris primarii strenæ loco missitarunt. Vina diem celebrent: non festa luce madere. Est rubor, errantes & male ferre pedes: Propert. lib. I. eleg. II. Quem morem a Romanis in Germanos translatum allegat Dresserus, Conf. quæ dedimus è Dressero ad §. 60. lit. d.

§. 67. Vicissim abeunt a Goropio, quod sub vocabulo *Jani*, quem ille Deum præsidem itinerum interpretatus est *y*), *Noam* *z*) nostris majoribus exauditum fuisse volunt. Verum ne hoc quidem persuadent mihi *a*). Citius assentiar Gyrardo *b*) & Schotano *c*), Janum eundem fuisse cum Noacho negantibus.

y) §. 39. *z*) Multis persuasa est hæc sententia IANUM esse NOAM. Reperies eam apud Pseudo-Berosum lib. III. Antiq. p. 25. (ed. Witeb. A. 1612.) Perr. Gregor. Tholoz. VII. de Rep. II. 37. p. 457. Opmeer. Chronograph. p. 30. & 36. (ed. Colon. A. 1625.) Io. Mich. Beuther. addit ad Patris animadv. hist. c. XI. p. 161. Martin. Bohem. Kirchen-Calend. p. 83. (ed. Witenb. A. 1606.) è Sabellico; Joh. Heidfeld. Sphing. c. 13. p. 374. (ed. Herborn. A. 1631.) è Bapt. Mantuano. Kipping. Antiq. Roman. lib. I. c. 2. p. 73. Neque hinc abeunt procul, qui Janum volunt esse IAPHETUM, seu IAPETUM cum Goropio (supra lit. z. ad §. 39.) aut filium hujus JAVAN cum Phil. Melancht. Part. I. Postill. p. 401. & Chron. Carion. lib. I. p. 25. Chytræ. in Genes. c. 10. f. 91. Voss. de Orig. Idol. Gentil. lib. I. c. 18. f. 72. Itaque & Mathesio (cujus locum repete e lit. a. ad §. 60.) perinde est, sive Janum quis Noam interpretetur, sive Japhetum, sive Javan. Conf. Selnecc. part. I. homil. in Evangel. & Epist. p. 389. Lipen. de Stren. cap. IV. §. 22. p. 202. Bodin. meth. histor. c. 8. p. 387. & c. 9. p. 409. (ed. Paris. 1566.) *a*) Duo maxime urgent argumenta: unum, quia Janus ita dictus sit ab

F

Hebr.

Hebr. Iain, vinum; alterum, quia vetus numisma exhibeat una sui parte Janum bifrontem, altera navem. Sed neutrum invictum. Etymologiarum robur imbecille notum. De numismate Jani Rosinum vide II. Antiq. Rom. 3. p. 207. & Constantium Landum explicat. numism. p. 1. & seqq. b) Histor. Deor. Synt. IV. f. 151. Quis Nochium feu Noa Ianum fuisse existimet? c) Biblioth. hist. sacr. f. 112. Alii (Noe) in Ianum transformant, eodem errore, sub audi, cum Bocharto, qui (p. 1. seqq. Phaleg.) in Saturnum.

§. 68. Satis tandem ita de natalibus poculi sacri. *Vulgare* Joanneum d) quasi sobolem esse sacri, jam quidem intelligi potuit e passim dictis: juvat tamen, quæ dispersa in præcedentibus jacent, jungere hic in compendium, uniusque aspectui utriusque poculi origines exponere.

d) Ioanneum inquam. Cave enim, quod hic dicimus, ita capias, quasi quodvis epulare, dormitorium vel peregrinatorium poculum, si ab his nomen S. Johannis ac venerationem abstrahas, sacri sit soboles, eoque minus annum. Quis enim dubitet, plurimis ante seculis, quam non dico *ἀγιολατρεία* in orbe Christiano radices ageret, sed ipse Apostolus nasceretur, fuisse qui ad vulgaria cujuscunque generis exiccanda pocula se invitarent? Sensus ergo est, prius cœpisse poculum Ioannis sacrum, quam nomen ab eodem Apostolo ac reverentia vulgaribus illis accommodaretur.

§. 69. Cum imagini Joannis *appingi* cœpisset calix, orta est *fabula* de potu virulento, quem ille absque vitæ periculo biberit e). Hanc uti certum est, matrem fuisse *superstitionis* credentium, vino quod fiducia meritorum Divi Joannis consecraretur, subesse vim adversus venena medicam f): ita non fallatur, qui saltem obstetricem g), (neque enim obscuri fœtus hujus atque spurii, Baby-

Babylonica quippe scortatione concepti, satis comperta
h) mater est,) reputaverit poculi, ut Pontificiis placet,
sacri. Ab hoc hæreditaria superstitione nomenque mater-
num poculi Ioannei transit ad illud è vulgaribus epula-
re. Eadem dies & in templo sacrificulum videbat vasa
vinaria novo ritu consecrantem, & cives domi pocula
non consecrata veteri assuetudine vacuantes. In Ioan-
nis igitur amorem bibi & hæc cœpta, & ex illis quadam
sacri, quod venenis resisteret, æmulatione robori ac pul-
chritudini, quanquam non æque applaudente S. Ioannis
legenda i) augmentum sperari k). Porro ab epulari po-
culo divi Evangelistæ nomen propagatum est ad dormi-
torium quoque, & ab hoc ad peregrinatorium l).

e) per §. 27. f) per §. 28. & 49. g) per §. 45. h) nam §.
51. 52. probabiles tantum conjecturas damus. i) per §. 31.
k) respice ad §. 11. 12. 13. item 30. 31. l) supra §. 15.

§. 70. Vis in breviores lineas contractam utrius-
que poculi genealogiam? Accipe. (1) *Pictura* Ioannis pe-
perit *fabulam* de veneno; (2.) *fabula* *persvasionem* de
poculo medicatorio; (3.) hæc vel peperit, vel ex alvo
materna excepit *calicem Ioannis sacrum*, (4) sacer genuit
epularem; (5.) *epularis dormitorium*; (6.) hic *peregrinato-
rium*.

CAPUT VI.

Poculi utriusque moralitas.

§. 71.

Absolvimus historiam, quæ prolixior nobis, quam ini-
tio sperabamus, evasit. Finire ergo poteramus, qui
id egerimus maxime, ut obliterari ritus, penesque no-
stros vix e tenuissimo rumore noti, memoriam ad po-
steros mitteremus clariorem. Placet tamen utriusque

poculi moralitatem inspicere. Res erit celerrimæ expeditionis, nec ullius difficultatis.

§. 72. In *sacro* illo Joannis poculo præter nomen nihil est sacrum. Quanquam enim adeo venerandum sibi sumserunt Pontificii, parum ut absit, quin ex eo numerum auxerint, ut sunt alias liberales, sacramentorum *m*): tamen vel catechetico tironi facile est illud convincere tum *idololatriæ* contra primum, tum *in vanum assumpti nominis divini* contra secundum, tum *sabbati profanati* contra tertium sacri Decalogi præceptum.

m) Zwinglius (in libello, Grund der Schluß-Reden / expos. artic. XVIII. §. 3.) adversus Pontificios Sacramentis etiam confirmationem annumerantibus disputans, illud urget inter alia, si pro sacramentis omnia sint habenda, quibus consecratio accesserit, poculum Joannis quoque & huic similia sacramentis accensenda fore. So verr du / inquit, Sacrament nennen wöltist ein gesegnet oder ghesegget Ding / so werdend denn nit allein Firmung und Deslung und Wyhe / sunder Wyhwasser / Wyrouch / Gladen / Balmen / und sant Johans-trunck Sacrament. Quanta sit alias Joannes poculi cum sacra cœna & baptismo, ex Pontificiorum quidem cerebro & ritibus, cognatio discas è §. 54. & 74, x. y.

§. 73. *Idololatriam n*) vel ipsæ produunt benedictionum formulæ, in quibus per merita & intercessionem S. Joannis *o*), cujus alias & imaginem pro idolo habent *p*), per preces Sanctorum *q*), per virtutes cœlorum *r*) creaturæ *s*) vini majores creatura facultates eum in finem rogantur, ut à possidentibus eidem arrogentur postea,

n) multa superstitiosa, idololatræ & magica damnantem in hoc poculo Thummium vidimus lit. x. ad §. 59. *o*) §. 3. n. 9. §. 4. n. 6. 9. *p*) Benedictio imaginis Joannis Evangelistæ: Præsta ut omnes illam cum reverentia intuentes, precesque

coram

coram illa fundentes, pro quacunque necessitate oraverint
exaudiantur, &c. Chemnit. Part. I. Exam. Concil. Trid. 705.
q) §. 4. n. 7. conf. §. 3. n. 3. r) §. 3. n. 4. s) §. 3. n. 2. 6. §. 4.
n. 10.

§. 74. *Abusus divini nominis* t) manifestissimus est
ex eo, quod Sacrosanctæ Trinitatis nomine adhibito u),
idque eadem formula x), quam Salvator Sacramento ba-
ptismi solennem esse iussit y), ea z) in Joannis amorem
bibentibus vanissima, ne quid gravius dicam, ac suis et-
iam hominibus suspecta a) audacia pollicentur, quæ nec
mandato nec promisso nituntur divino.

t) Mathes. von der Sündfluth / p. 394. daß man in S. Johan-
nis Nahmen und Verdienst den Wein segnet / damit er
wider alle Gift und Leibes und Seelen Gefahr diene / (wie
die alten Aegenden reden /) und einen Johannes-Truncf
thut / und in S. Georgen / oder S. Urbans Nahmen auff-
hebt / und an Sixti Tag den Weintrauben segnet / das
taug lauter nichts für Christgläubige Leut. Denn rechte
Christen mißbrauchen nicht den Nahmen Gottes / und
dienen oder beten niemand an / denn den einigen Gott.
u) §. 3. n. 2. §. 4. n. 10. x) §. 3. n. y) Matth. 28, 19. z) secu-
ritatem adversus non venena tantum, sed omnia animæ
pariter & corporis mala, §. 28. a) Petrus Mosellanus, no-
stræ quondam Academiæ nondum à Papatu reformatæ
professor, Pædolog. Dialog. XXV. ubi de feriis natalis Chri-
sti confabulantem facit cum Penio Franciscum. PEN.
Sed illud quæso quid sibi vult, quod sacrificuli, in divi Jo-
annis feriis, popularibus vinum è sacrato calice propinant?
FRAN. Nescio equidem, nisi quod audivi, hoc poculum,
utpote sacrum, antidoti vice esse contra veneni pericula.
PEN. At ego nolim hac fiducia cicutam bibere, quan-
tumvis sit hoc poculum, ut dicis, sacrum.

§. 25. *Sabbati profanationem* tanto minus hic ex-
cusabimus, quanto majorem reverentiam haberi par est


at 7928
feriis Christi natalitiis, quibus cēremonia sacrandi pocu-
li Joannei peragi solet.

§. 76. Merito igitur Babylonix meretricis cali-
cem hunc abominandum penitus ejecerunt Ecclesiæ no-
stræ. *Vulgare* Joannis poculum, si à scabie, quam illi
alterum istud affricuit, sic purgetur, ut nihil idololatri-
ci, superstitiosi, impii profani resideat, honestatis potius
ac temperantiæ leges observentur, tolerari potest b), alio-
quin & ipsum haud injuria proscribendum c).

b) Locum in hanc rem Mathesii habes ad §. 17. lit. d. Stuckii
suffragium jamjam dabimus. c) Stuck. paulo post verba
lit. g. ad §. 43. citata. Hujusmodi propinatio, si modera-
te fiat, non videtur esse improbanda: est enim amoris a-
micitiæque mutux testis atque symbolum. Verum tur-
pissimus hodie illius est abusus. Cogunt enim se invi-
cem plerimi hujusmodi poculis atque propinationibus ul-
timis, quas crebro ingeminant, ad plus vini hauriendum
atque ingurgitandum, quam par sit, & honestatis sanita-
tisque ratio postulet. Et ad id abutuntur turpiter atque
nefarie S. Joannis, ipsiusque Dei O. M. nomine, nec non
specioso amoris amicitixque prætextu, &c.

Sic tandem exhausimus poculum Joannis. Claudamus
ergo Janum d) nostrum. Suum olim claudebant Roma-
ni finito bello. Utinam & apud nos finita sint bella!
Hoc Januarium votum est nostrum. Tuum, quod suppli-
ces imploramus, beneficium, Clementissime Deus, agno-
scentibus peccata, perque filium unigenitum deprecantibus
parcere, & in ira etiam justissima memorem esse misericor-
diæ. Propter Filium ergo dilectissimum redde nobis, redde
his regionibus, redde Germanico Imperio post nubila satis
diuturna publicæ solem tranquillitatis! Amen.

d) Janum & Joannem Synonyma esse interdum, ostendimus è
Goropio §. 36. m.





B.I.G.

Farbkarte #13

P. 11. 358, 13.

X 1826 23 11

II h
928

2. D. B. V.
De

POCULO S. JOANNIS,

quod vulgo appellant

S. Johannis-Gruncf /

in Academia Lipsiensi

Consensu

*INCL. FACULTATIS PHILOSOPHICÆ,
PRAESIDE*

Viro Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. M. JACOBO THOMASIO,

Eloquentiæ Prof. Publ. celeberrimo, Facultatis Philo-
sophicæ Adessore gravissimo, Min. PP. Collegii
Collegiato meritissimo &c.

*Domino Patrono, Præceptore & Promotore suo
atatem suspiciendo,*

disputabit

JOH. ADAMUS FIBIGERUS,

Löbavia-Lufatus, Magisterii Cand.

d. 30. Januarii A. C. 1675.



LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI FICKII.

